



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXXVII. Differentia 3. Iuvenis, qui puellam nondum septem annorum duxit,
eamquæ conatus cognoscere, non potuit propter imbecillitatem ætatis,
secundùm Canones cum ejusdem consobrina non potest ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iuuenis, qui puellam nondum septem annorum duxit, eamque conatus cognoscere, non potuit propter imbecillitatem aetatis, secundum Canones cum eadem consobrina non potest matrimonium contrahere, c. Iuuenis, de spon. al. At iure civili non invenitur hoc prohibitum. Bart. 110.

I. **C**UM matrimonii cautæ fori spiritalis sint, c. Tuam, de ord. cogn. c. Causam, qui filii sint legit. Conc. tr. sess. 24. can. 12. Supervacaneus est labor inquirere, vel attendere principum sæcularium leges Quocirca c. Iuuenis decisionem audiamus. Iuuenis puellam N. septennio minorem, non tamen valde distantem uxorem duxerat (quod ex conatu conlumsandi apparet) eamque attemptavit, sed non perfecit, cum consobrina ipsius potestne matrimonium contrahere? Respondet *Eugenius III. Pontifex*, non posse, & si fecerit, separandos esse. Cujus non una ratio est: *Primo* quidem, quoniam in re dubia, quod certius est, amplecti convenit. *Certius* autem, & securius est, ut potius præsumamus, puellam à juvene cognitam esse, quam incognitam. ne si forte cognita fuerit, consobrina illius injustè in matrimonio teneatur contra præscriptum sacrorum canonum, de quo in c. penult. de consang. & affin. *Secundo* propter honestatem ecclesiæ, quæ iustitia publicæ honestatis vocari solet, respectu cuius matrimonium consobrinæ non permittitur.

II. Pro pleniori intelligentia notat *Henr. Canis. in cit. c. Iuvenu*, pro contrahendis sponsalibus, requiri, ut septennium completum sit, c. Literas, cum c. seq. c. Ad dissolvend. de desponsat. impub. Nam in ista annorum periodo tantum iudicii & discretionis accrevisse videtur, ut pro contractu sponsaliorum sufficiat; quandoquidem infantia desit, l. si infans r. d. C. de iure deliber. An autem præcisè huius annorum numerus observari debeat, vel potius moraliter habito respectu ad maturitatem, seu malitiam, inter DD. controversatur. Verius existimo temporis physicè cursum maturitate suppleri, quod ex effectu cognosci poterit, si puella permittat, se more uxoris attentari. Quam sententiam in præsenti casu *Pontifex* lecurus videtur, cum puellam septennio minorem, non tamen valde distantem nominat. *V. Covarr. in Epitome decretal. tit. de sponsalib. c. 1. Sanchez l. 2. disp. 41. n. 9.*

* *